



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. I. Explicatur definitio justitiæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

redundet &c. Demum Tullius quaest. 2. Tusculana: Sine prudentia ne intelligi quidem ulla virtus potest &c.



DISPUTATIO II.

De Iustitia, & partibus ejus.

IUSTITIA secunda Cardinalium virtutum, prima est & præstantissima inter morales: unde Philosophus 5. Ethicorum cap. 1. Præclarissima virtutum (inquit) est iustitia, & neque Hesperus, neque Lucifer ita admirabilis. Hac (ait Ambrosius) virtus publica est, alijs nata, non sibi: foris tota est, & quicquid habet, quadam inclementia sui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos. Hac (subdit Rabadeneira lib. 2. de Principe Christiano cap. 3.) principio fundavit regna, fundata stabilivit, stabilita auxit, ornavitque, & quam obtinent ampliundinem, majestatemque concessit. Hac populi vulneribus medetur, seditiones restringit, exasperatos animos mitigat, pacem firmat, bellis obsistit, Reges gloriosos facit, regnis securitatem præstat, & in primis Deum honorat ac reveretur, cui nullum potest esse sacrificium gratius, nulla hostia acceptior, quam victima iustitiæ, cujus vinculo cælum cum terra, suprema cum infimis, & extrema, maximeque divulse mundi partes, inter se conjunguntur. Demum ut scitè ait Porphyrius lib. 3. de abstinentia, iustitia virtutum omnium obsonium est: nam sicut fames, juxta Socratem, ciborum omnium condimentum est; ita iustitia omnibus virtutibus gratiam atque saporem conciliat. De hac ergo tam præclara & illustri virtute, cujus (inquit Philo lib. de creat. princ.) tanta excellentia est, ut nullus Poëta, nullus Scriptor satis laudaverit, breviter hic agendum est, & prius ejus definitio explicanda, deinde partes ipsius recensenda.

ARTICULVS PRIMVS.

Explicatur definitio iustitiæ.

Iustitia sumitur duobus modis: Primò largè, pro collectione omnium virtutum, sive prout dicit statum omnium virtutum collectione perfectum; & hæc vocatur iustitia generalis, de qua Christus Matth. 5. dicebat: Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum: & Matth. 1. Joseph vocatur iustus, id est perfectus in omni virtute, seu omnibus virtutibus exornatus. Unde quia radix omnium virtutum est gratia & charitas, multoties illa nomen iustitiæ sibi assumunt, ut patet ex Augustino de natura & gratia cap. 38. & cap. ultimo, ubi sic ait: Charitas inchoata, inchoata iustitia est: Charitas magna, magna iustitia est: Charitas perfecta, perfecta iustitia est: & omnes in gratia constitutos, vocamus iustos, propter ipsam gratiam. Secundò iustitia sumitur strictè & determinatè pro virtute aliqua morali, quæ est ad alterum, poniturque æqualitatem juris inter

A personas diversas: unde definitur ab Aristotele 5. Ethic. cap. 1. & à Cicerone libro de officijs cap. de iustitia, nec non ab Ulpiano lege iustitia ff. de iustitia & jure: Perpetua & constans voluntas, jus suum unicuique tribuens. Quæ definitio perfectè declarat naturam iustitiæ, ut ostendit D. Thomas 2. 2. quaest. 58. art. 1. nam per hæc verba: Perpetua & constans voluntas, indicatur quòd iustitia sit virtus, cum sit voluntaria, sive ex electione, ac firma & stabilis, quæ sunt conditiones virtutis ut sic; imò innuitur quòd ejus subiectum sit voluntas, in qua sola iustitia ex moralibus virtutibus subjeatur, ut patet ex dictis in Tractatu de virtutibus in communi. Per reliqua verò verba, scilicet *jus suum unicuique tribuens*, indicatur proprium obiectum iustitiæ, sive materia circa quam versatur: alia quippe virtutes morales sunt præcipue in ordine ad operantem, & ad proprias ejus operationes; iustitia autem est præcipue circa ea quæ ad alterum sunt, sicut circa propriam materiam, & jus alienum ut ad æqualitatem servandum, tanquam proprium obiectum respicit. Unde medium iustitiæ, dicitur *medium rei*; medium verò aliarum virtutum, *medium rationis*: non quòd ipsa iustitia non attendat etiam medium constitutum per prudentiam, atque adeò medium rationis; sed quia hæc in materia iustitiæ non aliter constituitur medium, quàm per æqualitatem secundum rem, ut scilicet tantum reddatur, quantum reipsa debetur: cum tamen in materia temperantiæ & fortitudinis medium non sit æqualitas à rebus determinata, sed quam prudentia attentis omnibus circumstantijs constituit, quæ proinde modo erit plus, modò minùs, modò sic, modò aliter, secundum quod circumstantiæ temporis, loci, personarum &c. variantur.

Porro jus quod est obiectum iustitiæ, adæquate dividitur in jus naturale, & jus positivum, ut docet D. Thomas 2. 2. quaest. 57. art. 2. Jus enim, sive iustum, est illud quod est adæquatum seu commensuratum alteri: dupliciter autem potest alicui homini esse aliquid adæquatum, nimirum vel ex ipsa natura rei, puta cum aliquis tantum dat, ut tantumdem recipiat, & hoc vocatur *jus naturale*; vel ex aliquo condito, sive privato, sive publico, & hoc appellatur *jus positivum*, quod subdividitur in divinum & humanum, rusticusque humanum in Canonicum & Civile: nam licet apud Philosophos jus humanum non sit nisi quod dicitur civile sive temporale, eò quòd apud illos sola externa & merè temporalis politia comperta esset; tamen apud Christianos, qui agnoscunt duplicem hominis societatem, pro duplici proximo sine in quem homo dirigi potest, duplex quoque jus positivum, à duplici potestate fines illos intendente promanans, est agnoscendum.

Si autem quæras, quid sit jus gentium, & an à jure naturali & positivo distinguatur? Ad primam partem quæ sit respondeo, jus gentium dici illud quod est omnibus gentibus bene institutis commune, & earum consensu vel saltem usu inductum. Nam sicut omnes gentes, tametsi regnis & provincijs divise, habent semper moralem aliquam unitatem, & mutuam communicatione indigent; ita etiam indigent jure aliquo & legibus, saltem usu ipso latitis, & tantopere diffusis, quantum communicatio illa quam dirigunt. Ad secundam verò quaestionem dico jus gentium contineri sub jure positivo humano, quamvis aliquid participet de jure naturali.

4. Prima pars hujus resolutionis probatur primò ex D. Thoma 2. 2. quæst. 57. art. 3. ubi expressè docet jus gentium non esse jus naturale; quod etiam aperte indicat 1. 2. quæst. 94. art. 5. ad 3. & quæst. 95. art. 4. & 2. 2. quæst. 66. art. 2. ad 1.

Probatur secundò: Id quod ex libera hominum constitutione dependet, est jus positivum: Sed jus gentium ex libera hominum constitutione dependet: Ergo non est jus naturale, sed positivum. Major patet, Minor probatur ex Justiniano in institutis, de jure naturali, gentium & civili, ubi ait: *Jus gentium omni humano generi commune est: nam usu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humana jura quadam sibi constituerunt.* Idemque habetur in cap. *Omnia lex*. Et Caius in *Legge Omnes populi ff. de justitia & jure: Quod naturalis ratio* (inquit) *inter homines constituit, id apud omnes æquè custoditur, vocaturque jus gentium.* Ergo jus gentium non est determinatum ex rei natura, sed ex hominum beneplacito, conformi naturali juri.

Tertiò: Jus naturale est immutabile & indispensabile: Sed jus gentium potest variari, & in rigore in illo dispensari hominum auctoritate; nam cum jure gentium sit introductum, ut capti in bello justo sint servi capientium, de facto in fidei favorem in hoc est dispensatum; dum statutum est ab Ecclesia, ne Christiani ab alijs Christianis capti in bello justo, sint servi capientium, nec capientes habent verum dominium supra captos: Ergo jus gentium non est jus naturale, sed positivum.

5. Secunda pars, quæ asserit jus gentium aliquid participare de jure naturali, colligitur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 95. art. 4. ad 1. ubi ait: *Jus gentium est quidem aliquo modo naturale homini, secundum quod est rationale, in quantum derivatur à lege naturali per modum conclusionis, quæ non est multum remota à principiis, unde de facili homines in hujusmodi consenserunt: distinguitur tamen à lege naturali, maxime ab eo quod est omnibus animalibus commune.* Ergo licet jus gentium sub jure positivo contineatur, aliquid tamen de jure naturali participat. Quare Bannez 2. 2. quæst. 57. art. 3. dubio 3. conclus. 3. dicit jus gentium esse quasi medium, affinitatem habens cum jure naturali & civili positivo: quia cum jure naturali convenit primò in hoc quòd neutrum jus oportet esse scriptum: secundò, quòd ad sui promulgationem non requiritur convocatio hominum, sed in omnibus nationibus absque præcone acceptatur: tertiò, quia jus gentium habet modum juris naturæ, quia jus naturæ est principium vel conclusio necessaria; at vero jus gentium est quasi modus quidam maxime necessarius ut jus naturæ servetur: quartò conveniunt in hoc quòd jus naturæ & jus gentium ubique apud omnes gentes custoditur, & si oppositum fiat, omnes judicant male fieri. Similia tradit Medina 1. 2. quæst. 95. art. 4.

ARTICVLVS II.

Partes integrales, subjectivæ, & potentiales justitiæ recensentur.

6. **D**Væ tantum dantur partes integrales justitiæ, scilicet boni operatio, & mali vitatio; non quidem secundum quòd bonum & ma-

lum sumuntur in communi, quia sic pertinent ad omnem virtutem; sed prout bonum habet rationem debiti ad proximum, & malum rationem nocivi; sic enim spectant ad justitiam, & ex illo duplici actu completum munus & finis justitiæ coalescit. Cum enim perfecti agentis sit, & rem constituere, & constitutam conservare, oportet ut ad eandem justitiam, cujus est constituere æqualitatem ad alterum, tribuendo illi quod suum est, pertineat etiam conservare æqualitatem constitutam, vitando & removendo mala injustitiæ, per quæ destruitur. Primum dicitur *facere bonum*; secundum *declinare à malo*; unde sine his duobus non est justitiæ opus integrum & perfectum.

Partes verò subjectivæ justitiæ, seu illius species sunt tres, nimirum justitia commutativa, distributiva, & legalis. Prima est justitia partis ad partem; secunda totius ad partes; tertia partium ad totum. Cum enim munus justitiæ sit æqualitatem inter aliqua constituere, ut scilicet unumquodque alteri reddat quod ipsi debetur, juxta diversas habitudines illorum, inter quæ ponitur æqualitas, distinctæ species justitiæ consurgunt. Hujusmodi autem habitudo tantum est triplex, nempe vel partis ad partem, ut unaquæque det alteri quod suum est; & hæc est justitia commutativa, ad quam pertinent commutationes, emptiones, venditiones, & omnes contractus ex quibus consurgit obligatio unius partis ad alteram. Vel potest esse habitudo totius ad suas partes, ita quòd ipsum totum unicuique parti tribuat quod ei comperit; & hæc vocatur justitia distributiva, ad quam spectat distributio præmiorum, & bonorum communium: utraque verò dicitur justitia particularis, quia attendit bonum partium. Vel denique prædicta habitudo potest esse partium ad suum totum, ut scilicet unaquæque pars ita se habeat, sicut bono totius expedit, tribuatque communitati quod debet; & ista appellatur justitia legalis, quia potissimum curat, ut leges in suo robore conserventur, & observentur, quatenus, mediâ hac observatione, ipsum bonum commune conservatur; dividiturque in eam quæ respicit bonum commune & legum observantiam, attendendo ad verba legis, & non nisi juxta illa ad intentum legislatoris, quæ retinet nomen commune justitiæ legalis, & dirigitur à Sinesi, quæ est virtus judicativa secundum leges & regulas communes; & in eam quæ prætermittendo verba legis, solum attendit legislatoris intentionem & animum, ut ita fiat sicut in hoc casu attentis omnibus circumstantiis fieri veller; & ista vocatur Epixeia, & dirigitur à virtute judicativa supra communes regulas, scilicet Gnome, ut in fine articuli præcedentis dicebamus.

Partes demum potentiales justitiæ sunt novem, nimirum religio, pœnitentia, pietas, observantia, gratitudo, vindicativa, veritas, amicitia, & liberalitas; cujus novenarij numeri hæc ratio reddi potest. Virtus ordinata ad alterum, solum potest deficere à perfecta justitia, vel quia id quod alteri reddit, deficit à ratione æqualis, vel quia deficit à ratione debiti. Primo modo deficient virtutes quæ sunt ad Deum; quidquid enim homo illi reddat, reddit minus quàm debet. Hujusmodi verò sunt religio, quæ tribuit Deo reverentiam & cultum, & pœnitentia, quæ exhibet illi pro peccatis satisfactionem. Similiter à ratione æqualis deficient virtutes quæ respiciunt patriam, & parentes, & personas in aliqua digni-